



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

49 Moniales, quibus ex causis à monasterijs exire poßint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

teris sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari, maximè procurent. Conc. Trid. in c. 5. de reg. & monial. & c. unic. §. 1. & ult. de stat. regu. in 6. Inobedientes, atque contradicentes per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescendo, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. ut eod. c. 5. d. c. unic. in fin. de stat. regul. quod auxilium, ut præbeatur, omnes Christiani Principes hortantur, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus secularibus injungitur per sacrum Conc. Trid. in d. c. 5. §. quod auxilium. Et exhiberi debet ad ea, quæ Deo sunt placita, exequendum. c. 1. de off. ordin. & glo. in d. c. unic. in ver. seculari. ad hoc enim Magistratus seculares legitimè à Sac. Concilio fuerunt compulsi, & compelli possunt. cap. administratores. 23. q. 5. & gloss. proxime citata.

Et Pius V. in hærendo dispositioni d. c. unic. de stat. regul. in 6. & decreto Sac. Concil. Trid. d. c. 5. sess. 25. sua perpetuò valitura constitutione, statuit, atque decrevit universas Moniales, tunc præsentis, & futuras cujuscunque religionis, & ordinis, vel militiarum, etiam Hierosolymita. receptas, vel recipiendas, tacitè, vel expressè professas, etiam si conversæ, aut quocunque alio nomine appellarentur, etiam si ex institutis, vel foundationibus earum regulæ ad clausuram non tenerentur, † nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata fuisset, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cete-

ro permanere clausura, & reluctantes hortandæ, ac inde contrafacientes ab ordinariis locorum severissimè puniendæ, omnibusque sine professione, & absque clausura vivere volentibus est interdictum, nè ullæ aliam prorsus in suum ordinem, religionem, aut congregationem recipere possint, ut in const. ejusdem Pij V. in Bull. cap. 8.

Nec possunt † moniales cujuscunque status, gradus, vel conditionis existentes, de cætero morborum, lepræ, aut epidimiæ causa, nisi ob evidens, graveque periculum, seu scandalum (quæ tamen præter alios ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum, & ordinariorū jurisdictione exempta esse reperirentur, cognita, & expressè in scriptis approbari debent) à monasteriis prædictis exire. dict. c. unic. circa princ. vers. ita quod nulli. Sed nec in prædictis casibus extra monasteria, nisi ad necessarium tempus stare licet, si quæ autè extra prædictos casus modo, quo supra cognoscendos, & approbandos, è monasterio, clausuravè egressæ fuerint, quive eisdem licentiam exeundi quomodolibet concesserint, nec non comitantes, ac illarum receptivæ personæ laicæ, seculares, vel Ecclesiasticæ, consanguineæ, vel nō, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, eo ipso absque aliqua declaratione subjiuntur, à quo à nemine, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolvi possunt, ut in aliis ejusdem Pij V. Postea confectis litteris, de quibus in eodem Bull. cap. 100.

Gregorius autè XIII. inhibuit quibuscunque, nè sub prætextu licentiarum hætenus tunc concessarum, & obtentarum

sub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua pariter à nemine, niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium poſſunt obtinere. Monasteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant. Abbatiffis vero, necnon Abbatibus, Conventibus, & aliis Monasteriorum utriusque ſexus ſuperioribus, & perſonis quocunq; nomine vocentur, diſtictè præcepit ſub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, nè in Monasteria, domos, & loca ſua quemquam prætextu dictarum licentiarum ingredi facerent, vel permitterent, quinimò etiam ſub eisdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibuit, atque interdixit omnibus, & quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam ordinum quorumcunq; etiam Mendicantium Regularibus, ne illis prætextu licentiarum ab Episcopis, vel ſuperioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantùm ex decreto Concilii Tridentini, dicto cap. 5. §. ingredi autem. de regul. ſeſſ. 25. tribuitur, Monasteria ipſa monialium pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus, dumtaxat ingredi liceat. Nec moniales ſub eisdem pœnis illos aliter admittere poſſunt, ut in litteris ejuſdem Gregorii. in eod. Bull. cap. 36. Neque Episcopis aliſve, quibus ſui auctoritate officii eſt permiſſum, pro libito ſua voluntatis hujusmodi ſepta ingredi licet, ſed dumtaxat in caſib⁹ neceſſariis, & à paucis, iſſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. & contra facientes Episcopi pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ ingreſſi, pro ſecunda à

munere Pontifficali, & à divinis ſuſpenſionis, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicationis pœnam incurunt; regulares verò omni officio, ac miniſterio privati ſimiliter excommunicationis pœna innodantur. Gr. 1720. Bul. c. 75.

Mulieres autem quæ in Congregatione vivunt pro cura earum mulierum, quæ fuerunt inhoneſtæ, vel à viris propriis deſertæ, non ſunt cogendæ ad profeſſionem emittendam, neque ad clauſuram ſervandam, ut in eiſdem deciſi. ſuper cap. 5. §. Gregorius XIII. audiat.

Concedere enim licentiam intra ſeptem Monasterii ingrediendi Episcopus, vel ſuperior debet in caſibus neceſſariis, nequæ alius ullo modo poteſt, etiam vigore cujuſcunq; facultatis, vel indulti hætenus conceſſi, vel in poſterum concedendi, Concil. Trid. eod. cap. 5. §. dare autem; & etiam ubi viget conſuetudo non accedendi ad Monasteria regularibus ſubjecta ſine licentia Episcopi, & poſt Concilium introducta, ut Ordinarii concedant licentiam ingreſſus ad Monasteria Regularibus ſubjecta, privativè ad ipſos Superiores Regulares, adverteadum eſt, an conſuetudo ſit legitime præſcripta, ſuper qua Judex compoſens cognoſcere debet; ſed interim ordinarius eam quaſi poſſeſſionem, quam habere reperitur retinere poteſt. Et dato, quod à Superioribus Regularibus hujusmodi licentia ingreſſus, & acceſſus concedi deberet privative ad Ordinarios, non poſſunt illas improbare, poſſunt tamè Ordinarii aliquam ipſarum licentiarum cognitionem, & ſuperintendentiam habere; prout Mediolani, ubi vigore Concilii provincialis primi debent hæ licentiæ apud Superiorem regiſtrari, ut fuit deciſum

per